



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 2. De Minoribus Principibus Mantuanis seu familiæ Gonzagarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

NVM. 2. De Minoribus Principibus Mantuanis, seu Familie Gonzagarum.

DUX GVASTALLÆ annui reditus habet in agro Mantuano 20. librarum millia, & vnicam urbem ad hoc vsque tempus habuerat Guastallam cum aliquot castris. Sed quoniam de iure Ducatus Mantuani disputabat, accepit à Carolo Niuernensi Oçtauo Duce tria oppida *Luzzara*, *Suzzara*, & *Reggiuolo*, quæ eius ditionem eximiè auxerunt. Est quoque Princeps ARIANI, & Dux MOLETTÆ in regno Neapolitano, & inde sibi conficit centum librarum millia.

DUX SABVLONETI *Sabionette*, urbem habet vnicam cum aliquot pagis. Iam possidetur à Caraffis nuptiarum iure, sed redimi potest à Duce Mantuano, aut Comite de *Bossolo* 800. aureis Mantuanis, aut nostratibus 400. Anni reditus habet 70. librarum millia, & totidem ex agro Neapolitano colligit, vbi Princeps est STILIANI *Stigliano*. Iam hæc ditio Nobilem Hispanum dominum agnoscit *D. Ramiro Nūnes de Gusman* Ducem quoque in Hispaniâ *Medinæ Turritæ*, de *Medina de las Torres*.

COMES NOVELLARIÆ *Nuvellara*, seu *Nouellara*, stringitur ditionibus *Rhegij*, & *Corregij*: eius regio populosa est, & diues: atque annui reditus 60. millia librarum habet.

PRINCEPS BOSSOLANVS, *Prince de Bossolo*, simul est Comes S. MARTINI, & Dominus *Riparolæ Furiensis* *Rivarolo di Fuori*, cum aliis quinque Burgis aut Pagis: 60. quoque librarum millia annui reditus percipit.

MARCHIO CASTILIONEVS, seu Castilionis Stiuerorum. *Castillon della Stiuère*, & Dominus Castelli *Ziphraei*, *Castel Ginfre*, quod oppidum ante aliquot annos ipse permuniit: in limite Brixianorum potitur, & 60. quoque librarum millia recipit annui fructus.

DOMINVS SOLFARINI, *Seigneur de Solfarin*, superiori conterminus est, & vnica tantùm vrbe potitur cum 30. librarum millibus.

Hi omnes summo iure vtuntur, & à nemine pendent nisi ab Imperatore, atque vt loquitur Notitia Principum Italiæ, potius in partes Hispanas, quàm Francicas inclinant.